



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 38. Quædam Universitatis Parisinæ statuta de hæreticis ab ea
excludendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

§. XXXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

*Quædam Universitatis Parisinæ sta-
tuta de hæreticis ab ea ex-
cludendis.*

Cum hoc anno Cardinalis Castillio-
næus a vera fide deficeret, atque
in Angliam auffugeret, Parisina Uni-
versitas ad quædam decreta sancienda
impellebatur, quorum caussam, vel sal-
tem occasionem præbebant illi, qui per-
versas fovebant opiniones, aut omnino
ad hæreticorum castra transibant: ita-
que Universitas die secunda Januarii
statuit, ut Gymnasia lustrarentur a Re-
ctore Michaelæ Auburgo unacum Ma-
gistro de Mouchy, seu Demochare Cen-
sore Theologo, & tribunalis Acade-
mico, ut hisce temporibus, quibus de
Religione certabatur, Universitas, quam
oportebat esse Magistram veræ pietatis,
ac Religionis, veluti & bonarum om-
nium artium, a singulis in suis Ordini-
bus rationem fidei, ac Religionis ex-
posceret, ut boni in ea confirmaren-
tur, atque alii errore fortasse decepti
ad eandem revocarentur: Insuper die
vigesima quinta Januarii anno millesi-
mo quingentesimo sexagesimo octavo
decrevit eadem Universitas, ut profes-
sionem fidei omnes Academici exceptis
Medicæ Facultatis Doctoribus, ac Bac-

*Argentre
coll. judic.
ac novis
error. t. 2.
pag. 398.*

U 3 calau-

Sæcul. XVI
A. C. 1568.

calaureis, coram suis Decanis, & Doctore aliquo Theologo ederent: præterea decretum est, ut nomine Universitatis porrigeretur Regi libellus supplex adversus eos Academicos, qui infide erga Deum, & Regem defecerant, & ad rebelles hæreticos transfugerant unde illi, qui Regem supplices adirent, nominati sunt ex sacro Ordine Magistri Vigor, Huges & de Saintes Doctores Theologi: porro hunc libellum supplicem suo chirographo muniebat Auburgus Rector, eratque his conceptus verbis.

§. XXXIX.

Libellus supplex hanc in rem Regi porrectus.

Argente
pag. 399.

„Rex potentissime! Doctores, Rectores, ac Magistri Urbis tuæ Parisiensis cum omni subjectione exponunt, quatenus pro bono publico, novæque sectæ, atque eminentiæ Reformationis extinctione, necnon extirpatione hæresum, quæ indies latius sese extendunt, juxta Majestatis vestræ edicta quosdam ex Ministris suis, ac Typographis, quos aperte huic sectæ faventes, tum eorum agendi ratio, tum perversi libri ab ipsis tumultu initio divulgati, ac venditi probant, privilegii, quæ Majestas vestra, atque